

C O N C L U S I O .

Possibilitas rerum absoluta, & primaria est independens a voluntate divina.

Prob. 1. Si possibilitas rerum absoluta penderet a voluntate divina, ab ea penderet, utique, quia Deus potuit velle ut sibi mutuo non repugnent, quæ sibi invicem repugnassent, si aliter Deo visum fuisset, sed falsum posterius, ergo verum prius....

Prob. min. Si Deus potuisset velle ut res, quæ sibi mutuo non repugnant, sibi mutuo repugnarent, res eadem in se spectatæ possent repugnare, & non repugnare: ac proinde possibile esset idem simul esse, & non esse: quod quidem absurdum esse nemo diffiteri potest.

Prob. 2. Si possibilitas rerum absoluta penderet a voluntate Dei, rerum possibilium ideæ potuissent esse in mente Divina ideæ rerum impossibilium: ergo essent mutabiles ideæ, quæ sunt in mente Divina, ac proinde non essent necessariæ: ergo non essent essentielles Deo, ideoque Deus posset concipi sine ideis rerum possibilium: sed si Deus concipi possit sine ideis rerum possibilium, possibile est, ut Deus sit aliquando sine cognitione rerum possibilium, quod repugnat.

Prob. 3. Si possibilitas absoluta terum penderet a voluntate divina, Deus posset velle, quod est impossibile. Porro Deus non potest velle id, quod contradictionem

in-